

stabilita? Neque in his, quæ pendent ex Ecclesiæ statuto, quidquam doctrinæ detrahitur si affirmetur juxta statutum Ecclesiæ aliquid, quod post modum revocato illo statuto, non verificatur, sed pro tempore quo dictum est, semper verificatur.

Scio non deesse auctores, qui sentiant etiam stando in jure antiquo non contrahi irregularitatem, eo quod in prædicto decreto Nicolai, cap. De his clericis, l. distinctione solum dicit Pontifex: « Quod sibi consulet ille sacerdos si ab officio sacerdotali recedat. » Quod potius videtur supponere, quod in rigore non incurrit irregularitatem, solum enim tamquam melius id sibi consulitur. Alii etiam dicunt, quod loquitur Pontifex solum de clerico excedente moderamen inculpatæ tutelæ. Sed tamen Pontifex de quolibet modo occidendi expresse loquitur. Alii addunt in Clementina citata non fuisse conditum novum jus revocans antiquum, sed idem jus continuatum. Cæterum oppositum est certius, et tempore D. Thomæ sic videtur intellectum, et practicatum illud jus. Videatur Sylvester v: Homicidium III, quæstion. II; Cajetanus, et Bañez ad locum Div. Thomæ citatum, ex 2-2; Valentia, tomo III, disputat. v, quæst. VIII. puncto IV, circa finem, et alii. Nec Pontifex quando ibi dicit: « Multum sibi consulet si ab officio sacerdotali recesserit, » id ponit solum pro consilio sine obligatione, et tamquam ad melius, sed absolute, ut patet ex ratione subjuncta: « Satius illi esse sic Domino famulari, quam alta indebite appetendo in profundum inferni demergi. » Sentit ergo ad id teneri sub damnatione, et sic non id consulit ut melius, sed ut debitum. Nec in Clementina illa necesse fuisset id explicare de novo, si juxta antiquum jus non in-

currebatur irregularitas, otiosa enim videbatur illa nova declaratio, si novum jus non condebat. Nec est idem de occidente a casu et sine voluntate sua, qui ab irregularitate liberatur in multis canonibus eadem distinctione l. et in titulo de homicidio. Nam defendens se, voluntarie occidit licet sine peccato sicut iudex et ministri ejus, qui tamen irregularitatem incurrunt, ergo eodem modo id volebat Ecclesia de defendente se, licet non peccaret, sed tamen postea corripit hoc jus, sed de his suo loco.

DUODECIMA PROPOSITIO: PROPITIATORIUM FUISSE TABULAM LAPIDEAM.

Res hæc scriptorum, vel amanuensium incuria, aut vitio in textum Div. Thomæ irrepsit 1-2, quæstione cii, artic. iv ad vi. Eam ex D. Thomæ non processisse, clamant antiqua exemplaria, quæ solum habent: « Super arcam erat tabula quædam, quæ dicebatur propitiatorium, » et non dicitur aurea, vel lapidea, ut notavit magister Donatus, in impressione Summæ Divi Thomæ in parva forma Romæ 1619, ad marginem illius loci. Refert etiam p. Vazquez in commentario illius articuli, tom. II, in primam secundæ, in manuscripto codice Salmantico antiquo solum haberi, tabula quædam, nec dicitur aurea, vel lapidea, quod ante Vazquez affirmavit Medina in initio commentarii, quæstione ciii, ejusdem primæ secundæ. Denique, ipse D. Thomas expresse dicit fuisse tabulam auream illud propitiatorium, super epistolam ad Hæbraeos, c. IX, lect. I, ad illa verba: Et tabulæ Testamenti, etc. Quomodo ergo tam manifestus error potest præsumi in littera Div. Tho-

mæ nisi ex scriptorum vitio irrepsisse?

DECIMA TERTIA PROPOSITIO: SOLEMNITAS VOTI CONSISTIT IN ALIQUA CONSECRATIONE, EX APOSTOLICA TRADITIONE, ET JURE DIVINO.

De hoc tractat S. Thomas 2-2, quæstione LXXXVIII, artic. VII, ubi dicit: « Solemnitas voti attenditur secundum aliquid spirituale, quoad Deum pertinet, id est, secundam aliquam spiritualem benedictionem vel consecrationem, quæ ex institutione Apostolorum adhibetur in professione certæ regulæ secundo gradu post sacri ordinis susceptionem, ut dicit Dionysius II capit. ecclesiasticæ hierarchiæ. Et hujus ratio est, quia solemnitates non consueverunt adhiberi, nisi quando aliquis totaliter mancipatur alicui rei, non enim solemnitas nuptialis adhibetur, nisi in celebratione matrimonii quando uterque conjugum sui corporis potestatem alteri tradit. Et similiter voti solemnitas adhibetur, quando aliquis per susceptionem sacri ordinis divino ministerio applicatur. Et in professione certæ regulæ, quando per abrenuntiationem sæculi, et propriæ voluntatis, aliquis statum perfectionis assumit. » Ita Div. Thomas. Quo loco non agit de vi, et efficacia solemnitatis voti, et an possit tolli, vel dispensari potestate humana, de hoc enim agit ibi articulo XI, sed solum in quo consistat solemnitas voti. Solet autem distingui duplex solemnitas in voto, altera substantialis, altera accidentalis. Prima consistit in ipsa traditione, seu exhibitione hominis ad continendum, obediendum, etc. cum acceptatione Ecclesiæ. Secunda consistit in aliqua exteriori cæremonia, sive sit benedictio, sive consecratio, sive aliquod

aliud signum exterius, quo illa interior traditio significatur, et solemnizatur.

Igitur his verbis Div. Thomæ re-latis ejusque sententiæ opponitur ab auctoribus oppositis decisio Bonifacii VIII, in capite unico de voto, et voti redemptione in sexto, ubi sic Pontifex edicit: « Quod votum debeat dici solemne, et ad dirimendum matrimonium efficax, nos consule re voluisti. Nos igitur attendentes, quod voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa, etc. præsentis declarandum duximus oraculo sanctionis, illud solum votum debere dici solemne quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri ordinis, vel per professionem expressam, vel tacitam alicui de religionibus per Apostolicam Sedem approbatis. » Ita Pontifex. Nihil amplius probant verba Greg. XIII, in extravaganti: Ascendente Domino, ubi inquit: « Nos considerantes voti solemnitatem sola Ecclesiæ constitutione inventam esse triaque hujusmodi societatis vota tametsi simplicia, ut substantialia religionis vota ab hac Sede fuisse admissa illaque emittentes in statu religionis vere constitui, quippe qui per ea ipsi societati dedicant atque actu tradunt, seque divino servitio in ea mancipant. » Si ergo Pontifices fatentur totam solemnitatem voti ex Ecclesiæ constitutione esse inventam, quomodo stare potest, quod consistat in aliqua spirituali benedictione ex Apostolorum traditione emanante, et quod de jure divino obliget, atque ex natura sua sit annexa essentialiter votis religiosis, seu eorum professioni?

Sed quia potest aliquis dicere, quod D. Thomas citato loco non dicit solemnitatem jure divino, vel ex natura rei esse annexam votis, et

professioni religiosorum, sed solum attendi secundum aliquam benedictionem, vel consecrationem ex Apostolorum institutione adhibitam, id autem est ex Apostolorum institutione, atque ex Ecclesiæ constitutione, totum enim hoc pertinet ad jus positivum Ecclesiæ, et sic verba Div. Thomæ nullo modo contrariantur decisioni Bonifacii VIII, et Gregorii XIII. Contra hoc urgentius instatur ex eodem Div. Thoma qui 2-2, q. LXXXVIII, art. XI, contraponit solemnitatem voti religiosi voto sacri ordinis, quia ordini sacro, non est annexum debitum continentiae nisi ex statuto Ecclesiæ, statui vero religioso est annexum essentialiter; ergo sentit non esse in voto religioso solemnitatem ex statuto, seu constitutione Ecclesiæ, id enim solum attribuit ordini sacro, opponitur ergo decisioni Pontificis dicentis esse inventam eam solemnitatem ex constitutione Ecclesiæ etiam in professione regulæ approbatæ. Quod expressius videtur dicere S. Thomas in IV distinctione. XXXVIII, quæstione I, articulo III, quæstione III, et in additionibus ad III particulam quæstione LIII, articulo II, ubi refert aliquos dicere, quod votum solemnne dirimit matrimonium propter statutum Ecclesiæ: « Sed hoc, inquit, non sufficit, quia secundum hoc Ecclesia posset contrarium statuere, quod non videtur verum. » Sentit ergo Div. Thomas solemnitatem hanc voti ad dirimendum matrimonium esse independentem a statuto Ecclesiæ.

Nihilominus, si sensus Div. Thomæ inspicatur nullo modo potest contrariari decisioni Pontificum. Nam Div. Thomas solemnitatem voti tam annexam ordinibus sacris, quam professioni regulæ approbatæ ponit esse ex Ecclesiæ constitutione et ordinatione, sed diversimode, nam in sacris ordinibus fit ordina-

tio, seu consecratio ad ministrandum cultui divino, obligatio vero ad continendum illi adjuncta, quæ dicitur votum castitatis, et inhabilitatio ad matrimonium est superaddita ex statuto Ecclesiæ isti ordinationi. At vero in professione regulæ non adjicit Ecclesia ex statuto suo ad professionem, obligationem continendi, sed statuto suo acceptat traditionem et mancipationem hominis ad religiose et continenter vivendum, et hac acceptatione facta per Ecclesiam (quæ utique ex statuto Ecclesiæ, et ordinatione ipsius est) essentialiter sequitur debitum continentiae perpetuæ sine alio novo statuto, eo quod res semel deputata, seu tradita ministerio divino (quod Div. Thomas consecrationem seu spiritualem benedictionem vocat) non est amplius revocabilis etiam ab ipsa Ecclesia. Itaque ex inventione, et constitutione Ecclesiæ est, quod talis traditio, seu mancipatio hominis ad caste, et religiose vivendum fiat, et quod Ecclesia ipsam acceptet, totum hoc ordinatio Ecclesiæ est. Et sic solemnitas voti, quæ in ista acceptatione Ecclesiæ, et traditione hominis consistit, ex institutione Ecclesiæ est, sed in religiosis hæc acceptatio est ad caste vivendum per se, et directe, ideoque sine alio statuto superaddito, ex vi prioris acceptationis tenentur caste vivere, ideoque dicitur essentialiter illi annecti, scilicet illi voto sic acceptato ab Ecclesia. In his autem, qui sacris ordinibus initiantur, consecratio ministri fit directe ad ministrandum cultui divino, quod vero si ordinati caste vivant exigit statutum Ecclesiæ superadditum consecrationi, ideoque non dicitur illi ordinationi essentialiter annexum.

Quod ergo Sanctus Thomas intellexerit solemnitatem hanc (quæ substantialiter fit traditione homi-

nis, et acceptatione Ecclesiæ) ex ipsius Ecclesiæ institutione, et ordinatione derivari, præter dicta 2-2, quæstione LXXXVIII, articulo VII, quod est ex institutione Apostolorum quæ utique institutio positiva Ecclesiæ est, sumitur etiam ex his quæ docet in IV dist. XXXVIII, quæstione I, articulo II, quæstione III, ubi inquit: « Tunc votum solemnizatur, quando aliquis præsentialiter se dat Deo divinis servitiis mancipando, quod quidem fit per ordinis susceptionem, et professionem certæ regulæ debito modo factæ, scilicet in manus ejus, qui debet recipere, et aliis circumstantiis, quæ secundum jura determinantur, alias non esset votum solemnne quantumque quis profiteretur, quia ex tali professione non fieret sub potestate eorum, qui religioni præsumunt. » Ecce D. Thomas ponit solemnitatem voti in mancipatione ad divina officia non quomodocumque, sed secundum circumstantias, quas determinant jura. Ex determinatione ergo juris positivi ista solemnitas voti dependet, sicut dixit Bonifacius, et asseruit D. Thomas.

Quod vero Ecclesia possit votis simplicibus adjicere statutum de dirimendo matrimonio, sicque acceptare ea ad veram religionem, D. Thomas admisit in additionibus ad III par. quæstione LIII, articulo II, argumento III, adjuncta ejus solutione. Quod de facto his temporibus fecit Ecclesia in societate Jesu pro illis, qui post biennium tria vota simplicia faciunt, et sunt vere religiosi sic acceptante Ecclesia eorum traditionem, et mancipationem ad divinum servitium, ita ut si per se ipsos recedant sine licentia, aut manumissione, vere sint apostatæ. Et sic in omni religione invenitur aliqua mancipatio, et traditio hominis ad divinum servitium, ut ex verbis Gregorii XIII supra relatis

patet probantis esse vere in statu religioso emittentes vota simplicia in societate, quia se tradunt, et mancipant servitio divino. Sed in aliquibus fit mancipatio hominis per vota simplicia, et acceptatione Ecclesiæ non irrevocabili, sed cum potestate manumittendi. In aliis autem fit per professionem ad regulam approbatam, et votum solemnne, et tunc Ecclesia absolute acceptat illam traditionem, et tunc dicit D. Thomas solemnizari votum, quando fit absoluta traditio, et acceptatio ut in hoc loco citato ex IV sententiarum, et supra 2-2, q. LXXXVIII, articulo VII dicit.

Quod vero D. Thomas ponat differentiam inter solemnitatem voti adjectam ordini sacro et illam quæ ex professione regulæ approbata oritur, quod prima sit ex statuto Ecclesiæ, secunda essentialiter annexa, aut ex jure divino, oportet diligenter attendere verba D. Thomæ. Nusquam enim dixit Div. Thomas quod solemnitas voti religiosi est de jure divino, aut naturaliter, seu essentialiter annexa statui religioso, sed dixit quod debitum continentiae est essentialiter annexum statui religioso per professionem facto (de hoc loquitur D. Thomas qui solum erat suo tempore) non vero susceptioni sacrorum ordinum, et est longe diversum loqui de debito continentiae, aut de solemnitate, qua solemnizatur votum. Et secundo dicit, quod status religiosus per professionem factus non indiget novo statuto Ecclesiæ, ut habeat annexam obligationem continentiae sicut indiget susceptio sacri ordinis, sed essentialiter facta professione habet annexum hoc debitum. Et tertio, quod semel facta ista professione, et mancipatione hominis ad religionem, non manet amplius revocabilis. Et hujus rationem sumit Div. Thomas ex duobus principiis,

Primum, quod talis solemnitas fit per aliquam traditionem, et mancipationem ad divinum obsequium, seu cultum; sed tamen susceptio sacri ordinis non mancipat, seu consecrat ad caste vivendum directe, sed ad ministrandum altari, Ecclesia vero sic ordinatis statuto suo alligavit debitum, ut caste vivant, unde castitas non essentialiter annectitur susceptioni ordinis sacri, sed ex statuto Ecclesiæ adjungitur. At vero professio religiosa fit quidem, et inventa est ex ordinatione Ecclesiæ approbante regulam, et acceptante traditionem, et mancipationem hominis voventis et profitentis, unde est destinatio, seu consecratio, hominis directe ad caste vivendum, et obedienter, etc. Unde cum ad hoc directe mancipetur, seu consecratur ab Ecclesia non indiget novo statuto adjungente ei debitum continentia, sed essentialiter consequitur, quia ex ipso essentiali, et specifico objecto, hujus consecrationis ad id destinatur. Et sicut calix consecratur ad continendum sanguinem Domini, ita religiosus ad caste vivendum; et sicut consecratio calicis, licet sit facta ex institutione Ecclesiæ, tamen semel facta, nec indiget novo statuto, seu ordinatione ad sui consecrationem, nec potest amplius tolli, et revocari, ita consecratio, seu destinatio hominis ab Ecclesia ad caste et religiose vivendum, licet ex institutione Ecclesiæ fiat, tamen semel facta non est revocabilis nec superaddito indiget ad debitum continentia.

Et hoc est secundum principium quo innitur hæc ratio D. Thomæ, quia scilicet res quæ semel consecratur ab Ecclesia, licet ordinatione et institutione sua id Ecclesia faciat, tamen re illa integra manente, consecratio illa tolli non potest, nec revocari, ut patet in calice consecra-

to; ex institutione enim Ecclesiæ est, quod consecratur, et benedictione ipsius ab ea instituta consecratur, tamen dum calix integer manet non tollitur ex se consecratio, nec de novo consecrabilis est. Et hoc ipsum deducitur ex illo Levitici ultimo: *Quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino: et omnis consecratio, quæ offertur ab homine non redimetur*; ergo similiter cum in religioso professo ex vi voti ab Ecclesia acceptati sit destinatio quædam, et deputatio, seu mancipatio ad divinum obsequium in genere vivendi religiose in castitate, et obedientia, etc. illa deputatio quædam consecratio est ex Ecclesia quidem, et apostolica traditione derivata, sed directe, et essentialiter habens annexum debitum castitatis, et obedientia, quia ad hoc directe, ut ad objectum essentiali, et specifico mancipatur et consecratur homo.

Ex quibus principiis sequitur dici a D. Thoma debitum continentia annexum susceptioni sacri ordinis ex statuto Ecclesiæ, quia ex sua natura, et specifica ratione sacer ordo non deputat ad continentiam, sed ad ministerium altaris, professionis vero votum deputat ad continentiam ex sua specifica ratione, et objecto, et sic essentialiter habet annexum hoc debitum. Unde consequenter votum solemne religionis non ex statuto supervenienti habet debitum continentia, sed ex natura talis voti, quia ad continendum datur, quæ tamen natura voti, statutum supponit acceptantis Ecclesiæ. Sequitur secundo, quod solemnitas in voto religiosæ professionis (seu status religionis, ut professæ) non est ex statuto superaddito, et accidentaliter se habente ad votum, quod solum negat Divus Thomas, sed ex statuto constituyente ipsam

professionem in sua natura, quatenus statutum, et ordinatio Ecclesiæ acceptat illam traditionem ex mancipatione hominis absolute, et quasi mutuam contractum traditionis, et acceptationis constituit, quod non negat divus Thomas, quo posito redditur homo absolute consecratus et deputatus per professionem ad spirituale obsequium religionis, et irrevocabiliter. Sequitur tertio, quod cum decreta Pontificum nihil aliud dicant, quam quod solemnitas voti ex ordinatione Ecclesiæ, et constitutione ejus est, nec determinant, quod sit ex constitutione superadjecta voto, seu professioni, vel acceptante ipsam professionem, et traditionem hominis, ut sit absoluta, et solemnis mancipatio ad divina, nullo modo contrariantur Div. Thomæ qui solemnitatem istam posuit in traditione hominis, et acceptatione, seu deputatione Ecclesiæ ex institutione Apostolorum, quæ deputatio quædam consecratio dicitur. Huic autem traditioni et acceptationi Ecclesiæ, quæ constituit votum solemne dixit esse annexum essentialiter debitum continentia, quia ad hoc fit illud votum, et deputatio ut ad objectum essentiali, et per se primo non tamen dixit solemnitatem non esse ex institutione Ecclesiæ, aut statui religioso in communi accepto, aut sine professione habito, essentialiter, vel de jure divino esse annexam.

DECIMA QUARTA PROPOSITIO : EX SPONSALIBUS IRRITIS NON ORITUR IMPEDIMENTUM PUBLICÆ HONESTATIS.

S. Thomas, in IV distinctionis XLI, quæstione I, artic. I, quæstiunc. IV, art. III, docet : « Quod omnia impedimenta quæ faciunt sponsalia, non permittunt ex pactione nuptia-

rum affinitatem fieri. » Circa quod triplex decisio juris invenitur. Prima est Alexandri III in capit. Ad audientiam, desponsalibus, ubi Pontifex prohibuit sponsam unius fratris tradi alteri fratri, quia sponsa fuerat fratris licet desponsatio irrita fuisset. Secunda decisio est ex capite unico de sponsalibus in VI ubi Bonifacius VIII sancit, quod ex sponsalibus puris et certis, etiam si consanguinitatis, affinitatis, frigiditatis, religionis, aut alia quavis ratione sint nulla, dummodo non sint nulla ex defectu consensus, oritur efficax impedimentum, ad dirimendum sequentia sponsalia, vel matrimonia, non autem ad præcedentia dissolvendum, publicæ honestatis. Tertia decisio est Concilii Tridentini, sessione XXIV, de reformatione matrimonii, cap. III, ubi dicit : « Justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacunque ratione valida non erunt, sancta Synodus prorsus tollit. » In hac tertia decisione statuit Ecclesia sententiam Div. Thomæ. Secunda decisio facta fuit post tempora D. Thomæ a Bonifacio VIII, prima decisio fuit facta ante D. Thomam ab Alexandro III, et ideo est difficultas quomodo contra illam locutus sit D. Thomas.

Quidam difficultate oppressi dicunt Div. Thomam non vidisse textum illum Alexandri III. Ita pater Sanchez, libro VII de matrimonio, disputatione LXVIII, num. V. Sed mihi potius videtur ipsum non attendisse ad locum Div. Thomæ. Nam in loco supra citato, ex IV sententiarum expresse s. doctor citat citatum textum Alexandri dicens in argumento, sed contra : « Sed contra est quod Alexander Papa prohibuit mulierem quamdam cuidam viro conjugii, quia fratri suo fuerat desponsata. » Et in margine citatur hoc caput: Ad audientiam, de sponsalibus, nec est aliud

in quo Alexander Papa illum casum decidat, nisi textus iste in toto titulo de sponsalibus, ergo vidit Div. Thomas textum illum.

Alii dicunt D. Thomam locutum esse juxta rationem naturalem, quia sponsalia irrita, non sunt sponsalia, et sic nihil causare possunt, et similiter locutus est secundum jura antiqua in c. Si quis desponsaverit et II, XXVII, qu. II et juxta antiquorum expositionem, quousque per Bonifacium VIII, qui fuit post D. Thomam oppositum statutum est. Ita Silvester V matrimonium VIII, num. XXIV, dicto VI. Cæterum S. Thomas cum expresse citet ipsum textum Alexandri, quomodo potest dici, quod solam rationem naturalem, et non ejus decisionem secutus est? In illo autem capite: Si quis desponsaverit, non agitur de sponsalibus irritis, sed validis, imo aliqui putant esse ibi sermonem de sponsalibus de præsentibus quæ faciunt conjugium, idque ibi Gratianus insinuat post illum textum. Alii dicunt tempore D. Thomæ non fuisse in usu hanc decisionem Alexandri, quæ postea cum aliis decretalibus auctoritate Gregorii IX collectæ sunt per S. Raymundum. Cæterum tempore D. Thomæ jam illæ decretales erant evulgatæ, cum præcesserit Gregorius IX. S. Thomam, et ipse sæpius citat auctoritates ex istis decretalibus, et individualiter citat hunc textum Alexandri in loco citato, ergo erat in usu.

Alii distinguunt inter affinitatem sponsalium, et impedimenta publicæ honestatis, et dicunt Div. Thomam negare quod contrahatur affinitas, sed non impedimentum. Nam expresse loquitur de affinitate, seu de modo affinitatis, qui non contrahitur; statim vero dicit quod si aliquis minor habeat impedimentum impotentiae perpetuum, et contrahat sponsalia, nascitur impedi-

mentum publicæ honestatis; distinguit ergo D. Thomas inter affinitatem, et impedimentum hoc publicæ honestatis nihil aliud est quam affinitas quædam, seu modus affinitatis, quæ oritur ex dispensatione per verba de futuro inter fratres sponzorum, et ante extendebatur ad alios gradus propinquorum. Unde distinguere inter impedimentum hoc, et affinitatem est distinguere illud a sua essentia. Et Div. Thomas loco citato solut. ad I dicit: « Quod sponsalia causant hoc genus affinitatis, quod dicitur impedimentum publicæ honestatis, unde sicut matrimonium est perpetuum vinculum, ita et ille affinitatis modus. » Sentit ergo affinitatem illam sponsalium esse impedimentum.

Quare probabilius apparet, quod elicitur ex Durando illa distinctione XLI, quæstione XLII, qui etiam scripsit post decisionem Bonifacii VIII relatum, eamque confert cum decisione Alexandri III et dicit, quod decisio Alexandri III procedit in casu quo personæ desponsatæ ignorabant impedimentum irritans sponsalia, et ita cum consensu saltem præsumpto illa celebrarunt, quo casu optime voluit Pontifex impedimentum nasci publicæ honestatis, quia non defuit consensus, licet affuit ignorantum impedimentum irritans. Decisio autem Bonifacii VIII procedit simili modo; quia vult semper oriri impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus irritis ex quacumque causa, dummodo non sit ex defectu consensus. Unde si quis scienter cum impedimento irritante celebraret sponsalia, ex vi decisionis Bonifacii non resultaret impedimentum publicæ honestatis, non propter impedimenta illa irritantia secundum se, sed quia deesset consensus (quo casu determinat Pontifex non resultare tale impedimentum) eo, quod qui scienter cum tali impedimento

ARTICULUS IV.

Quid de aliis propositionibus in secundo genere objectis.

Contrahit, præsumitur non habere consensum, ubi autem deest consensus non nascitur impedimentum publicæ honestatis secundum decisionem Bonifacii. At vero decisio Alexandri loquitur de sponsalibus contractis cum impedimento irritante ignorato, atque adeo non sine consensu, quo casu nascitur impedimentum, sicut etiam docet Bonifacius. At vero Div. Thomas quando dicit omnia impedimenta, quæ faciunt sponsalia non esse sponsalia, non inducere affinitatem, loquitur de impedimentis scienter positis, et non ignoratis, et consequenter in quibus deest consensus, quo casu non loquitur Bonifacius, neque Alexander, nam loquitur Alexander III quando impedimentum fuit ignoratum a principio, et postea inventum, quod essent consanguinei, ut expresse dicit textus, et Bonifacius excipit simpliciter casum quo sponsalia sunt nulla ex defectu consensus. Et moveor ad hoc, tum quia Div. Thomas non ex quibuscumque sponsalibus impeditis dicit non nasci illam affinitatem, sed tunc quando sponsalia non sunt sponsalia, tunc autem impedimenta faciunt non esse sponsalia cum toto rigore, quando nec realiter, nec præsumptively sponsalia sunt, quod est quando scienter fiunt, quod eis deest consensus; tum quia expresse Div. Thomas ibi dicit ex impedimento ignorato in sponsalibus nasci affinitatem illam, videlicet quando est impotentia perpetua in puero ante pubertatem, sed post septennium, ergo idem diceret Div. Thomas de quocumque alio impedimento ignorato, quia est eadem ratio, solum ergo negat nasci affinitatem in quo ponitur impedimentum scienter, atque adeo cum deest consensus etiam præsumptively.

Quæ in secundo genere objecta fuere Div. Thomæ in primo articulo quod attinet ad philosophica, non solum non censemus esse indefensabiles opiniones, sed cæteris probabiliore, ut suis locis ostendimus, et fere omnes tractavimus in philosophicis. Solum tres examinabimus in præsentibus, quæ aliquid difficultatis habere possunt. Licet enim possit quis hæere in quarta propositione quod zona æquinoctialis sit, inhabitabilis, sciendum est quod Div. Thomas I. par. quæst. CII, artic. II ad IV utramque opinionem refert, et addit ab Aristotele expresse teneri, quod sit inhabitabilis propter abundantiam caloris, et hoc videtur sibi probabilius, sed non ut propriæ sententiæ multum adhæret, subdit enim: « Quidquid de hoc sit, credendum est paradisum esse in loco temperatissimo sub æquinoctiali, vel alibi. » Nondum tempore Div. Thomæ navigationes monstraverant æquinoctialem habitari. Vide Cajetanum, 2-2, qu. CLXIV, art. I. Prima ergo propositio est: Quod inter cælos datur spatium divisibile alicujus corporis, ita quod sphaera non sint sibi contiguæ. Sciendum est ergo, quod D. Thomas in II distinctionis II, quæstione II, artic. II ad V affert solutionem quorundam, qui dixerunt in cælo formandam esse vocem a beatis per contractionem ipsius cæli, ad quam explicandam utitur quorundam astrologorum exemplo, qui, inter duas sphaeras, quæ non possunt scindi, ponunt aliquod spatium repletum corpore divisibili, cum in isto spatio sit motus planetarum secundum motum epicycli. Ubi se doctor, nec approbat,